Ad Illuſtriſſimam

R. Elizabetham, L. H. Vicecan. Oxon. oratio Woodſtochiæ habita. An. 1572. Auguſt. 31.

LONDINI
apud Johannem Dayum Typographum. An. Dom. 1572.

Laurentius Humfredus Candido Lectori. S. D. P.

Iligentiam, & fidē Daij noſtri Typographi probo, & amorem chariſſimi viri amo, quòd oratiunculam craſſo filo contextam, & verba mea volatica vento diſpellenda, prælo tamen ſuo commēdanda & committenda exiſtimauit: ſed in eo amor ille errauit, quòd mihi non conceſſerit id quod datur vrſis, vt immaturum & abortiuū partum meum liceret retinere apud me aliquanto diutius, & lambere. Admonitus ante editionem, fortaſſis vt boni ratiocinatores facere ſolent, omnia ad calculos reuocaſſem conſideratius, quædā addidiſſem, alia deduxiſſem, nominibus quorundā peperciſſem, nonnulla mutaſſem. Aliud quippe eſt loqui & orare, aliud ſcribere & edere: aliud in aurē & in ſecretiore aula principis dicere: aliud in aurā & in vulgus ſpargere. Nam ſi verba per ſe alata ſatis euolant, quanto celerius, & latius, & longius tum diſſipabuntur, cum typographicæ pennæ acceſſerint? Quicquid eſt, optime Lector, quod offendit, vel æquitate tua prætereas, vel cādore corrigas, vel ſi libet & oportet, carbone deleas. Si nominaui quēquam, iraſci iure mihi nemo poterit, qui iam vel publicis aliorum ſcriptis innotuit, vel qui prius de ſe in libris ſuis confiteri voluit. Neque vero in eo mea me fallit opinio, quòd aſſerere videar, ad R. M. ſeriam religionis procurationem & reformationē pertinere, quoniam volumen legis idcirco in manus regum porrigi, & perfectum

exemplar deſcribi debet, vt in eo dies & noctes verſentur & meditentur, vt Templum dei ſartum tectum, religioniſq; caſtimoniam inuiolatam & illibatam cõſeruent: ne ille malignus, dormiente principe, in agro dominico peſtilentium errorum & ſuperſtitionum zizania diſſeminet, quæ ſimplex & cæcus populus vel nõ diſcernet, vel etiam ſalubri Euangelicæ veritatis frumento præferet, vnde infœlicem ſegetem colligi, ſubditoſq; præfocari neceſſum eſt. Neque enim homines regibus vt boues, vt aſini, vt equi aut muli committuntur, in quibus non eſt intelligentia: vt ſolum pabulo corpora eorum ſaginent, & non animos doctrina paſcant: imo quia ſæpe obbruteſcunt & iumento ſimiles ſunt, eos Dauid, & Ieſaias grauiter reprehendunt. Et quid vetat Principem ad hanc curam vocare & cohortari? Si Ethnici Principes, Rex Niniuitarum, Darius, Cyrus, Nabuchodonoſorus in ſacris literis propterea celebrantur, quòd eorum vnus vniuerſum populum ad placandum deum compulerit: alter idolum fregerit, & Danieli tradiderit, eiuſq; inimicos Leonibus obtruſerit: alius Iudaicæ Eccleſiæ reliquias protexerit, & Templi ædificationem prouexerit, vltimus legem de non blaſphemando deo prouulgarit, omnes pietatis & iuſtitiæ præcepta dederint, contraria prohibuerint: cur mihi negaretur Chriſtianam Principem ad idem diuinum ſtudium & ſacroſanctum inſtitutum exuſcitare? Si Papa pro ſuo in omnes imperium poteſt hoc vſurpare,

Sic volo, ſic iubeo, ſtet pro ratione voluntas:

cur non Princeps pro ſua erga deum pietate, erga ſuos charitate, dixerit multo rectius,

Sic volo, ſic iubeo, quia ſic diuina voluntas.

At fœminæ Principi non licet ſacris Reformationibus manum apponere? Vt olim cum Donatiſtis Auguſtinus, ita nos cum Anabaptiſtis & Pontificijs diſputa-

mus,

mus, aliter rex ſeruit domino, quia homo eſt, aliter, quia rex eſt: ita aliter agit fœmina, aliter regit Princeps: fœminæ aliter dicitur, In Eccleſia ſileat, aliter Principi, intelligat, erudiatur, in timore domino ſeruiat, filium oſculetur. Non ſolum Debbora fœmina Iſraelem iudicauit, & fœmina Iudith Senioribus præſcripſit & ſententia præiuit, ſed fœmina Iuſtina Arianiſmum ſanciuit, & fœmina Iohanna Romana ſacerdos, Chriſtiani orbis caput fuit, & omnibus ius Eccleſiaſticum ex libro mortis, ex decretalibus cerebri ſui dixit: & fœminarum decus ELIZABETHA doctiſſimis hominibus conſultis, vniuerſis regni ordinibus conſentientibus, Chriſtianiſmum ex libro vitæ non ſtabiliet? Eſt, eſt certè Principum qui per Chriſtum regnant, de Religione agendo tranſigere, inquirendo decernere, etiam pugnando defendere, Eccleſiæ vigilando patrocinari, in qua ſemper occurret aliquid quod agant, aut vt ſcabra deleant, aut infirma ſuſtentent, aut firma conſtituant, aut collapſa reſtituant, aut deficientia ſubſtituant, aut redundantia auferant, aut diſſoluta vinciant, aut hiantia coniungant, aut deformata concinnent. Quod nos illuſtriſſimam Reginam noſtram feciſſe hactenus gaudemus, & nobis gratulamur, & facturã deinceps ſperamus, & deum precabimur, quantumuis Leonis Satanæ catuli rudes eſſe & informes malint, quantumuis contra Leonis de Tribu Iudæ filios in lege diuina edoctos, & educatos, & melius informatos irrugiant. Itaq; vt omnes petitiones Academicas ſibi nõ ingratas eſſe & vultu & voce ſignificauit: ita ad præcipua Orationis momenta honorificè, venuſtè, eruditè reſpondit, ſe quondam nonnullorum rogatu, & multorum ſcholaſticis exercitationibus excitatam, in Academia latinè loqui apud latinas aures non dubitaſſe, & quid in ea re poſſet ſatis audacter periculum feciſſe, eam omnẽ dicendi facultatem, ſi qua fuit, Oxoniæ conſumptam eſſe, & iam inaruiſſe, itaq; ſe Anglicè & ex animo Oxonienſibus

Reſponſum Regium.

omnibus de voluntate gratias agere, munera boni cõsulere literarum patrocinium suscepturam, Academias & scholas autoritate quasi clypeo munituram, bonitate quasi rore irrigaturam, pro viribus omni nixu elaboraturam, ne doctrinarum lux extinguatur: quod autem primum & summum est, Religionem & verum dei cultum quibus posset modis, & machinis omnibus propugnaturam, dei se Ancillam esse, deum benignissimum suum dominum, Arcem, robur semper fuisse, satis se & sibi & naturæ vixisse, nec vitam optare productiorem, nisi vt deo & suis viuat: deo, vt eius nomen in hac vita sanctificet & illustret: suis, vt ipsi, qui (sicuti erat à nobis in oratione positum) ab ipsius vita secundum deum maxime pendebant, vitam quietam in omni pietate & honestate trãsigant. Hæc enim erat præter alia dictorum summa, quantum iam memoria teneo, & quantum ad hoc institutum nostrum facere iudico. Quæ verba vt tum non sine magna delectatione & admiratione omnium audiebantur, ita omnibus subditis quouis melle dulciora esse debent. Atq; hæc tibi, Lector, hoc tempore, hac præfatione indicanda putaui. Vtinam & ipsius regium pectus hic zelus domus diuinæ semper deuoret, & hoc nobilissimum exemplum alios Christianos reges ad eadem consilia capessenda extimulet, vt dominus non exclamet, Cæcos esse & duces cæcorũ, & ambos in foueam casuros, sed acclamet potius Reges Ecclesiæ nutritios & Reginas nutrices, & Beatum populum, cuius Deus est Dominus, in quo & nos Anglos, & illos omnes, & te, amice Lector, optime valere iubeo. Oxoniæ à Coll. Magdalenensi, 29. Octob.

Ad Illustrißimam R. Elizabetham, L. H. Vicecan. Oxon. oratio Woodstochiæ habita. An. 1572. Aug. 31.

Artinus quidam Romanus Pontifex, Sereniſſima R., Panormitanos Oratores ad pedes demiſſiſſimè proſtratos, & ſoleni et ſupplice illa oratione eum compellãtes, Agnus Dei qui tollis peccata mũdi miſerere noſtri, Iterũ, qui tollis peccata mundi miſerere noſtri, Tertio, qui tollis peccata mundi dona nobis pacem, (ſic enim Chriſti vicarius Rectorem ſuum Chriſtum debito honore ſpoliare gaudet) non vt Mitio aliquis comicè aut comitèr exaudiuit, ſed vt Demea ruſticè, imò vt Hercules furens tragicè excepit, ac per purpuratum ſuum legatum vniuerſæ Siciliæ ſacris omnibus interdixit. Ita ſcilicet Apoſtolicus homo Oratores,

Duces, Reges, Imperatores, Dandalos, Fridericos, Henricos non Apoſtolicè, at fœdiſſimum in modum, non ſemel at ſæpius tractauit, vt Tarquinio Superbo Romanorum tyranno, non Petro humili Romanorum Epiſcopo ſucceſſiſſe videatur. O igitur beatam Anglorum conditionem, qui hoc Pontificium iugum excuſſimus: O nos Academiæ alũnos fœlices, quibus in hoc tempore non apud durum dominũ, ſed apud mitiſſimam dominam, non apud Romanum Pharaonem, aut Phalaridem, ſed apud clementiſſimã *Elizabetham* ſine contumelia agere, ſine metu verba facere, ſine repulſa perorare, liceat. Adſumus itaque, *Elizabetha* Princeps, luce hac bonitatis tuæ & humanitatis freti, non tam arbitrio aut voluntate noſtra, quæ tamẽ optima eſt, quàm legationis impoſitæ neceſſitate, quæ iuſtiſſima eſt, vt Ma. tuam ad cõfinia noſtra ferè progreſſam affemur, vt paucis verbis ſalutem plurimam dicamus, vt omnia tibi in Chriſto Ieſu fauſtiſſima comprecemur. Quid enim

enim noſtri ordinis & loci homines offerre poſſumus aliud quam verba, voculas, vota, preces? Quod officium noſtrum, ſiue obſeruantiam, ſiue potius pietatem erga te vt benignè interpreteris etiam atque etiam rogamus, eoquè vehementius quò onus mihi incumbit grauius, & ego a perferẽdi facultate abſum longius. Quis enim ego ſũ vt omnes omniũ Oxonienſiũ gratulationes, linguas, ora, vno ore meo repræſentem? vt nõ modo ſenſum & ſtudiũ erga Celſitudinem tuã meum ſeparatim, ſed & horum qui adſunt tacitas cogitationes generatim, & aliorum qui abſunt intimos affectus, totius vniuerſitatis tot orationes, tot plauſus, tot carmina, tot acclamationes, *Io Pæan, Io triumphe, viuat Regina Elizabetha,* tot inquam voces & ſeniorum & iuniorum vna mea exili voce exprimam?

Summa vero legationis noſtræ bona cum venia tua his tribus verbis expedietur, gratulãdo, gratias agendo, petendo.

Primum nobis esse et supereſſe principē quale, quantum, & quam commemorabile, præpotentis dei munus ſit, ex cōtrario, videlicet, ex anarchia, & ex miſeriis & calamitatibus eorū qui Principe carent diiudicari poteſt, vbi nullus Rex, nulla lex, nullus magiſtratus, nullus ſubditus, nullus pater, nullus filius, nullus herus, nullus ſeruus, nullus ſuperior, nullus inferior, nullum legitimū imperium, nulla laudata obedientia, nullus Deus, nulla religio, nullus ordo, ſempiternus horror, cōfuſio, diſſipatio rerum omniū, vbi, quod in Philoſophia monſtrum eſt, *Omnia vnum*, cuiuſmodi fuit Nomadum aut Cyclopū Reſpub. apud Euripedē in qua ἀκ'θει ᾽θδὲις ᾽θδὲν ᾽θδενὸς. Atquì vt iucundū eſt Principē adueniſſe: ita longe iucundius principem bonā, ad omnem placabilitatem factam & quaſi natam, maxima rerū geſtarū gloria circumfluentē appuliſſe: cuius eminet & eniteſcit in religionis reſtitutione ſanctitas, in regni adminiſtratione fœlicitas

tas, in Eccleſiæ inſtauratione pietas, in pace domi & foris cõſtituenda bonitas, in ſtudiis artium & linguarũ ſedulitas, in omni deniq; officiorum cultu alacritas: ita vt illud Pſalmographi quod Vlrichus Huttenus nobilis ſane & doctus eques ad Papam Leonem decimũ paulo ineptius retulit, multo commodius huc tranſferri poſſe videatur, Orietur in diebus eius iuſtitia & abundãtia pacis. Sed non eſt inſtituti mei apud te laudes tuas enarrare, aut virium mearum Cel. tuam dignis encomiis celebrare, aut modeſtiæ tuæ ea de te audire, quæ tibi ſũmo iure tribuenda omnes iudicant. At enim nõ eſt pietatis dona dei in te diſſimulare, & ſtupiditatis eſt non videre, & officii eſt, ſi non hominem, at autorem omnium bonorum deum prædicare. Nihil certè quidẽ Neronis hypocritico quinquennio clementius, nihil Mariæ ſuperſtitioſo quinquennio crudelius, nihil *Elizabethæ* religioſo pene dixerim quindecẽnio moderatius. Quare Reginam adeſſe

gratũ, talẽ vero ac tantã gratius, ſaluam ac incolumem gratiſſimũ. Hoc auribus haurire & auditione ſolùm accipere optabile fuit, oculis vſurpare optatius, in hoc loco, in hac ampliſſima Woodſtochienſi regia optatiſſimũ. Non potes (*Elizabetha*) vnquã obliuiſci quod meminiſſe ſemper debes, hic prius carcerẽ nunc caſtrum, prius ergaſtulũ, nunc palatium, prius cuſtodiam, nunc curiam eſſe: hic prius te captiuã fuiſſe, nũc liberam, prius ſeruam, nunc conſeruatam, prius ſolicitam, nunc ſecuram, hoc Satellitium prius terribile, nunc ſalutare, prius tibi periculum denunciaſſe, nunc præſidium polliceri. Quinimò & hæc olim meminiſſe iuuabit, qualis vir fuerit hoc loco ille tuus bonus cuſtos, idemq; ianitor & clauiger, qui perinde quaſi peruigil draco aureum vellus cuſtodiuiſſet, te dies ac noctes homo nimis cautus & diligens arctiſſimè obſeruauit, ne latum pedem quoquam diſcederes, ne ſermones cũ quoquam niſi illo auſcul-

auſcultante conferres, ne literas niſi illo inſpectante ad quenquam dares: cum tu interea, ſi non ſemper, at ſæpe animo mæſta, corpore debilitata, morbis fracta, ab amicis inops, à præſidiis nuda, ab omnibus penè derelicta, vndequaq; oſtiis & ſeris, muris & viris armatis cincta, ſepta, tanquam auicula in cauea includereris, vt nuſquam prouolare, nunquàm cũ amicis ſuauiter colloqui, nuſpiam prodeambulare auderes. Omitto fabulam de capro in qua facetus quidam homo, ſiue ſerio, ſiue ioco, ſiue ſalſe Cuſtodis tui nimiam diligentiam, & ſeueritatem ſubaccuſabat. Memoria quoque & illud repete, quo dolore tum oppreſſus fuerit animus tuus, cum huc proficiſcens famulos tuos procul tibi valedicentes rerum tuarum perditum & miſerabilem ſtatum doceres, hoc ſymbolo, *Tanquam ouis:* cum huc perducta in harum ædium feneſtra ſententiam tuæ innocentiæ teſtem exarares,

cùm in dies pene ſingulos vel cuſtodis ſæuitiam, vel ſicarii inſidias, vel loricatorum hominum vim, vel Sororis minas, vel Epiſcoporum Draconiſmũ, vel Iudicis vocem, vel carnificis gladium, vel medici manum, vel morbi paroxyſmum, vel denique mortis aliquem ictũ reformidares. Vt hoc loco hæc recolligere delectat, ita illa quoquè hoc etiam tempore quod nuper pernitioſæ ſeditionis & conſpirationis funiculo rupto, bello ciuili conſopito, Pii quinti fulmine & flamma reſtinctis, Dei Opt. Max. potens miſericordia, miſericors potentia, ciuitates expugnatione, ciues internecione, agros populatione, Eccleſiam mutatione, Rempub. motu, Matuam metu, totam hanc nobiliſſimam Aulam periculo liberauit. Quis eſt tam deſertus a iudicio, tam auerſus a pietate, tam ferus & ferreus qui non in diuinæ benignitatis & prouidentiæ admirationem & prædicationem exardeſcat? Etenim

nim Deus ſolus nobis hæc otia fecit, qui nos omnes è ſummis difficultatibus, e ſæuiſſimis tẽpeſtatibus aſſertos, in ſereniſſimæ tranquillitatis portum optatum magis quàm ſperatum, non manu hnmana, ſed gubernatione ſua diuina traduxit.

Atque hæ ſunt iuſtiſſimæ gratulationis noſtræ cauſæ, Reginam & Reginam talem, & hoc loco, & his temporibus, opitulante Chriſto, inuito diabolo viuere, valere, regnare, florere, & nos ſubditos intueri.

A prima parte ad ſecundam, a gratulatione ad gratiarum actionem deſcendo, in qua debebam eſſe longior, ſed ero breuior, ne fiam moleſtior.

Priuatum quidem videri poteſt beneficium tuum (*Ill. Re.*) quod Priuilegia noſtra proximis Comitiis publica lege, & regio aſſenſu tuo confirmaueris, ſed bonum certe publicum eſt quicquid in Vniuerſitatem quodammodo matrem & nutricem communem literarum & religionis confertur: ex qua

facti tui excellentia & amplitudine non minor ad te laudis commendatio perueniet, quàm ad nos tuos emolumẽtorum perceptio redundabit. Hæc res erit tibi (*Elizabetha* Princeps) glorioſiſſima, Academicis tuis acceptiſſima, Eccleſiæ commodiſſima, Deo gratiſſima. Academias ſiue Scholas Hebræi fontes appellarunt, quod inde riuuli in omnes partes deriuẽtur, quibus obſtructis, vel impuris aquis aliunde influentibus, nec Eccleſiæ, nec Reſpub. nec Aulæ, nec familiæ quicquam puræ religionis haurient, ſed offundentur tenebræ pluſquã Cymmeriæ aut Ægyptiacæ imò nox ſempiterna rebus mortalium. Nihil eſt magis Regium quàm ſcholas tueri, & defendere, & prouidere, ne quid detrimenti capiat literaria Reſpub: nihil ad dignitatem principum elegantius, nihil ad vtilitatem ſtudioſorum præclarius, nihil in omnes partes ſecurius, quàm Academias immunitatibus ac priuilegiis contra audaciam & machinationes hominum communire. Sic olim literatis

ratis fauerunt, ſic literis fouerunt Heroes ipſi literatiſſimi, in Græcia Alexander, in Aſia Mithridates, in Ægypto Ptolomæus, in Hiſpania Alphonſus, in Germania Carolus magnus & Carolus quartus, in Bohemia Pragenſis Academiæ fundator, in Pruſſia Albertus Senior, in Italia Iulius, Auguſtus, Mecœnas, in Gallia Franciſcus, in Anglia Edwardus tertius, Henricus ſeptimus & Elizabetha coniux, maiores tui, Henricus octauus pater tuus, Edwardus ſextus frater, & Maria ſoror, a quibus (ſecundum deum) noſtræ commoditates partæ, per te prouectæ, per illos ortæ, per te ornatæ, per illos inchoatæ, per te nunc amplificatæ & abſolutæ fuerunt: ſic vt in ſingulas res meritaq; tua gratias cumulatè agere, & omnia verbis amplecti non poſſet mea infantia, imo nec vlla omniũ Oratorum eloquentia. Itaquè deſino, & nunc quædam abs te peterem, ſi auderem, & pace tua liceret.

Erit autem petitio triplex: vt triplex, ita tamen breuis: vt breuis, ita honeſta:

vt porro pergat prudentia tua & deo, & tibi, & nobis prospicere.

1. Deo & Christo (*Elizabetha* Christianissima) prospectum fuerit, si vt cœpisti, heroico zelo eius causæ propugnationem suscipias: si in eius templi instauratione, defensione, exædificatione nunquam defatigeris. Magnà sunt profecto quæ aggressa est Ma. tua: sed maiora tibi mente tua diuina designanda sunt, vt in hac alma & halcyonia pace tua, qua te deus præter spem tuam, supra expectationem tuorum, vltra meritum omnium, contra opinionẽ, et voluntatem hostium mirabiliter beauit, operosam hanc templi architecturam promoueas & perpolias, vel sarcias aliquid, vel facias, vel reficias, vel perficias, quò tandem hoc opus vere *Elizabethicum*, vere diuinum, supra petram ædificatum, Christo eiusquè verbo innixum, firmum, stabile, argenteum, aureum, pretiosum, quasi signum ad intuendum, quasi exemplar ad imitandum, & finitimis tuis, & posteris nostris

ſtris relinquas. Fundamentum perpe-
tuæ cõmendationis, & famæ eſt, Chri-
ſtianæ religionis accurata perpurgatio,
& propagatio, qua ſola deus placatur,
& nobis conciliatur, thronus tuus ſta-
bilitur, nos ſubditi tui conſeruamur,
inimici tui, & Cacodæmones ringun-
tur, & rumpuntur. Deus qui propterea
te in regali ſolio collocauit, & qui in
hoc diuiniſſimo opere hactenus adfuit,
architectationi, & ſtructuræ tuæ nun-
quam deerit: qui ſceptrum tibi in ma-
num tradidit, qui Regiam coronam au-
guſto capiti tuo ex ipſo cœlo impoſuit,
pro nobis, imò pro te, imò pro ſe & E-
uangelio ſuo excelſa ſua, & potente, &
tonante dextra, contra omnes duces &
diabolos pugnabit, totum opus manu-
um tuarum diriget, & fortunabit: mo-
dò faſtigium fundamento, media pri-
mis, extrema mediis reſpondeant. Non
Bullæ reboantes, non Papiſtæ rebel-
lantes deturbabunt, nec Hardingus,
Sanderus, aliiue Anglolouanienſes, nec
Pontacus Burdegalēſis, nec Surius Car-
thuſianus, nec Oſorius Luſitanus (cur

enim eos non nominem, qui tanq̃ ſorices indicio ſuo publicè ſe prodũt?) quorum alii caninis libellis te hæreticã, imperitam mulierculam, prætenſam Reginã, ethnicam, publicanã eſſe latrant, alii Regnum tuum Schiſmaticũ, alii Euangelium Ieſu Chriſti Zuinglianum, & Caluiniſticum blaſphemo ore traducunt, quicquam nocebunt: nec demum mille dæmonum agmina, nec ipſæ inferorum portæ tuum præclariſſimum inſtitutum impedire poterunt. Sed ille Deus cœli & terræ Deus, omnium conditor & conſeruator, qui te hactenus è faucibus omnium eripuit, qui Pontificem Pium quintum Bullatum doctorem contra Ma. tuam Bullas ebullientem iam e medio ſuſtulit, etiam per te vniuerſi Antichriſtianiſmi caput, cor, caudam, totum corpus, verbo ſi voles, profligabit. Cogita ergo templum eſſe non tuum, ſed Chriſti, opus tuum, ſed magnificum, laborem neceſſarium, fructum ampliſſimum, deum actorem & adiutorem, ſpectatores Angelos, Reges vt Dei imagines ſic eius operarios, admini-

miniſtros, vicarios eſſe oportere. Cogita corpus tuum mortale, famam virtutis & pietatis radicibus nixã immortalem, vitam tuam breuioribus quàm vellemus ſpaciis circumſcribi, memoriam huiuſce rei in omnes ætates propagari: *Elizabetham*, Reginam, & Regnũ in loco lubrico verſari, at *Elizabethæ* animam ſempiterno æuo frui, te & omnes nos è viuis mox diſcedere, Chriſti Eccleſiam opera tua conformatam ad omnem æternitatem permanere. Sed quid ego hæc ad te? aut quid ſus Mineruam doceo? aut quid memorẽ moneo, cui ego nihil præſcribere, nihil præiudicare, nihil præmonſtrare, aut poſſum aut debeo?

& bona quo virtus tua te vocat, & pede fausto.

Secundo petimus, vt maiore ſtudio magiſue ex animo petere nõ poſſimus, vt dum aliis omnibus facis benignè, te ipſam non negligas, tui rationẽ habeas, vt quoniam omnes in hanc vitam ea lege & conditione ingredimur, vt ſit nobis ſerius aut citius emigrandum, 2.

 ſaltem

ſaltem te præſente, & præſidente quàm diutiſſimè perfruamur. Nos quidem homunciones, ſiue naſcimur ſiue morimur, ſiue creſcimus ſiue decreſcimus, ſiue floreſcimus ſiue marceſcimus, ſiue hic imus ſiue perimus, ſiue adſumus ſiue abſumus, nemo aut præſentes magnopere curat, aut abſentes quærit, aut amiſſos luget, aut mortuos deſiderat. At ſi Princeps, ſi *Elizabetha* cadat (quod omen deus auertat) tota Reſpublica eodem labefactata motu concidit, nos tui peſſum imus, quoniam tua vnius animula (abſit impietas dicto) tua ſolius ſalute, ſalus noſtra priuata, publica, honores horum, labores illorum, literæ iſtorum, fortunæ omnium continentur. Vtinam periculorũ tuorum magnitudinem, ſicuti mente deliniaui: ita oratione mea poſſem ante oculos aſpectumq; tuum depingere. Liceat mihi quæſo apud te, de te, & cauſa tua, & bono tuo, & noſtro, liberius, & verius dicere. Sunt (proh dolor) ſunt vitæ & incolumitati tuæ duæ inimicæ, & infeſtæ peſtes,

pestes, *Papismus, Scotismus*. Nationem haud noto, sed factionem: nec ad crudelitatem te mea exacuit oratio, vt perdas, sed ad diligentiam, vt caueas. Qui tibi optat hanc mentem vt circumspicias, vt quasi in perpetua statione vigiles, is optat tibi perpetuum quietis & fœlicitatis tenorem, & Regno tuo perpetuam securitatem. Vt attentionem & seueritatem requiro, quod est serpentinæ sagacitatis, ita moderationem & clementiam omnem nõ condemno, quod est Papisticæ immanitatis. Nam qui te clementem esse nollent, & sibi suum statum, & tibi tuam laudem præcipuam inuident: Solem è mundo, ver ex anno tollunt, qui clementiam tollunt, & è corolla præstantissimarum virtutum tuarum fragrantissimum florem, & maximum ornamentum decerpunt. Sed tamen hostes Dei, tui, nostri, qui gladium tuum virginalem in vagina sapienter conditum stolidè deridēt, & se nulla pœna constringi posse somniant, intelligant tibi licere dicere, quod

olim Hector Homericus,

ἐμὸν βέλος ὀξὺ πάροιθεν Quod

pulchrè quasi interpretatur Ouidius,

Et mihi sunt vires, & mea tela nocent.

Cõmouere debent repentini & horrendi casus nobilissimorum Ecclesiæ Luminum, Iacobi in Scotia, Admiraldi in Gallia, aliorumq; procerum, si fama non mentitur, extinctorum, quorũ exemplo disce tu, discant alii Christiani Principes sibi sapere, Papistarũ vero nec malitiæ cedere, nec perfidiæ credere. Erumpet enim etiam cum certo matris exitio viperinus fœtus, & tecti ignes exæstuabũt. Quercus Oliuæ iuncta in eadem scrobe oliuam extinguit, vnum arbustum non alit duos erithacos, vnum cœlum non patitur duos soles aut duas lunas, nec vnus mundus capit duos Alexandros, nec vnus alueolus apum admittit duos Reges, & in vno Regno,

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.

Huc tendunt omnia, vt te ipsam respicias, tui curam non abiicias.

3. Cæterum causa dei pietati tuæ reseruata,

uata, & cura tui prouidentiæ diuinæ commissa, ad nos redimus, & ad tertium caput petitionis nostræ, vt placeat Ma.tuæ Academiam nostram solito fauore & patrocinio complecti, musas nostras, quæ te talem ac tantam fecerunt, qualem ac quantam omnes esse te sciunt, & cõfitentur, honoribus prosequi, & quantum potes, potes autem quantum vis, exornare. Sed nihil petimus, quia grati esse debemus, non petaces: nec est necesse, quia & te habemus ad dandum paratissimam, & optimos patronos ad interpellandũ promptissimos, Oxonia mater nostra illustrissimum Comitem *Leicestrensem* virum eximio splendore præditum, beneficentissimum Cancellarium nostrum, fidelissimum Consiliarium tuum, Cantabrigia autem soror nostra dominum *Burghleum* honoratissimum Thesaurarium tuum, imò totius Regni thesaurum, qui nobis dormientibus rete trahunt, quò nos fortunatos faciant, & omnes benefaciendi occasiones venan-

tur, quò noſtris vtilitatibus adaugendis & negotiis expediendis inſeruiant. Illud ad extremum non rogare nō poſſumus, ſcilicet ſi licet, ſi libet, ſi vacat, vt Ma. tua dignetur Oxoniam inuiſere, conſpectu recreare, præſentia honorare. O ſi aliquid tam facile tibi rependere poſſemus, quam & tu ampliter mereris, & nos impenſe cupimus. Ne verò ingrati animi ſcelere aſtringamur, Academia noſtra perpuſillum & perexiguum hoc munuſculum exhibet: Ego vero eiuſdem Vniuerſitatis inſigne, & officii mei ibidem ſymbolum, & nonnullum obſeruantiæ meæ teſtimonium ſacrum hunc & ſignatum librum offero, vt legas quod datur, credas quod dicitur, facias quod iubetur, peruenias ad id quod promittitur. Dominus Ieſus tibi vitæ prorogationem concedat, tempore longam, conditione lautam, tranquillitate lætam, omni commoditate & dignitate ad voluntatem adeo tuam, ad voluptatem etiam, ad ſatie-

ſatietatem vſque affluentem: tum verò coronam ſanctiſſimi capitis tui hîc ſtabilem & diuturnam, in cœlo autem ſemper florentem & æternam largiatur, quò hic apud tuos, vt Angla, ſingularé gratiam, illic apud ſuperos, vt Angelica, ſolidam gloriam conſequaris.

Amen.

157

STC
13959

THE FOLGER SHAKESPEARE LIBRARY